



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 81. Vtrum actus perfectæ charitatis, & contritionis sit forma iustificans,  
an pura dispositio ad iustificationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

tes ad reddendum hominem iniustum, nego; excludens omnes transgressiones mortales; concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad iustitiam veram, & simpliciter dictam sufficit, vt constituat hominem simpliciter iustum, & adæquatam legi primariæ, & obliganti sub mortali, non requiritur, vt reddat hominem adæquatam legi secundariæ, & obliganti sub veniali; sed iustitia inhærens, cum excludat omnia peccata mortalia, reddit hominem adæquatam legi primariæ; ergo licet non excludat omnia peccata venialia, & sic non reddat adæquatam legi secundariæ, nihilominus est vera iustitia, licet solum in patria sit iustitia, consummata, & excludens etiam omnia peccata venialia. Cum psal. 142. dicitur; *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, significatur, quod in hac vita mortali nullus adultus est ita iustus, vt nunquam venialiter peccet, siquidem septies in die cadit iustus. In eodem sensu loquitur Gregorius. Adde argumentum posse retorqueri. Nam homo in hac vita neque per iustitiam imputatam Christi ita iustificatur, vt sit innocens ab omni veniali; imò per aduersarios neque iustificatur ita, vt verè, & intrinsecè mundetur à peccatis mortalibus; ergo neque iustitia Christi vt imputata esset vera iustitia illius, cui imputatur, siquidem illum non adæquaret legi.

68. Ad 13. nego antecedens. Etiam aduersarij fatentur nos non fieri formaliter sapientes, beatos &c. per sapientiam, & beatitudinem Christi nobis intrinsecè imputatam, sed per sapientiam, & beatitudinem intrinsecam, & inhærentem, & tamen existimant se non inferre iniuriam sapientiæ, & beatitudini Christi: ergo licet dicamus nos non fieri formaliter iustos per iustitiam Christi, tamen quia fatemur nos fieri iustos per iustitiam Christi, tanquam per causam meritoriam nostræ iustificationis, non inferimus iniuriam meritis Christi, neque damus occasionem superbiæ. Adde hæreticos inferre iniuriam meritis Christi, dum dicunt Christum per sua merita non obtinuisse nobis iustitiam inhærentem, per quam simus verè iusti, & mundati à peccatis, sed solum iustitiam imputatam, cum qua remaneamus intrinsecè mali, iniusti, & inquinati peccatis, proportionaliter ac iniuriam inferret medico, qui assereret illum non conferre ægroto sanitatem inhærentem, sed solum imputare sanitatem ipsius medici.

69. Ad 14. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ambrosius dicens, quod qui dicit peccata, iustificatur, non negat hominem iustificari per iustitiam intrinsecam, & inhærentem, qua peccata omnino aufertur, & homo reddatur iustus, & verè iustificatus. Augustinus dum dicit tantam esse iustitiam huius vitæ, vt potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtu-

tum, asserit, vel supponit iustitiam consistere tum in remissione peccatorum, tum in perfectione virtutum, sed magis in remissione peccatorum, quam in perfectione virtutum. Et ratio est, quia qui iustificatur in baptismo obrinet perfectam remissionem peccatorum commissorum, sed non obtinet virtutes ita perfectas, vt non debeant in hac vita semper magis, & magis augeri.

### QUÆSTIO LXXXI.

*Virum actus perfecta charitatis, & contritionis sit forma iustificans, an pura dispositio ad iustificationem?*

1. Videtur esse forma iustificans; primo quia omnis forma essentialiter impossibilis cum peccato mortali etiam habituali est iustificans formaliter: sed actus perfecta charitatis, & contritio illam includens est talis forma; ergo &c.

2. Secundo si dicatur non sufficere ad formam iustificantem, vt sit forma impossibilis cum peccato habituali vtunque, sed requiri, vt sit impossibilis ratione suæ perfectionis, contra est, quia actus perfecta charitatis, & contritionis, ratione suæ perfectionis est impossibilis cum peccato mortali habituali; ergo &c. Probatur antecedens: nam perfecta contritio includens amorem Dei super omnia habet hanc perfectionem, vt sit perfecta conuersio ad Deum; sed perfecta conuersio ad Deum ratione suæ perfectionis est impossibilis cum peccato mortali habituali; ergo &c. Probatur minor: nam repugnat, vt aliquis sit perfectè conuersus ad Deum, & simul maneat habitualiter auersus à Deo; sed homo per peccatum mortale habituale est formaliter auersus à Deo: ergo perfecta contritio, per quam homo constituitur perfectè conuersus ad Deum, ratione sui est impossibilis cum peccato mortali habituali.

3. Tertio finis est perfectior eo, quod ordinatur ad finem; sed actus est finis habitus; ergo actus est perfectior habitu, vt etiam docet Aristoteles 9. metaph. text. 9. sed habitus charitatis, ac gratiæ ratione suæ perfectionis iustificant, ac sunt impossibiles cum peccato mortali; ergo à fortiori actus charitatis.

4. Quarto in pura natura contritio naturalis iustificaret à peccato per se ipsam formaliter: sed contritio supernaturalis est multo perfectior naturali; ergo &c.

5. Quinto si peccator de potentia absoluta eleuaretur ad Deum videndum, & amandam sine vilo habitu gratiæ, vel luminis gloriæ, constitueretur formaliter beatus, ac proinde liberaretur à miseria peccati: sed non per

per aliam formam, quam per actum charitatis; ergo amor patriæ iustificaret formaliter, ac proinde etiam amor viæ potest iustificare formaliter.

6. Sexto iustitia est perfecta adæquatio cum lege; sed qui diligit Deum super omnia, & ex amore Dei vult obseruare omnia præcepta, per hoc ipsum perfectè adæquatur cum lege, ideoque Apostolus ad Rom. 13. dicit, quod *dilectio est plenitudo legis*; ergo homo per dilectionem Dei super omnia constituitur formaliter iustus, ac proinde amor Dei super omnia iustificat formaliter.

7. Septimo cognitio summæ veritatis, cum est perfecta, per se ipsam formaliter expellit miseriam erroris; ergo amor summæ bonitatis, cum est perfectus, per se ipsum formaliter expellit miseriam peccati, ac proinde iustificat formaliter.

8. Octauo Prou. 10. dicitur: *uniuersa delicta operit charitas*: 1. Petri 4. *charitas operit multitudinem peccatorum*: Christus Luc. 7. de Magdalena dixit: *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*; sed hæc non verificarentur, nisi amor Dei per se ipsum auferret peccata; ergo &c. Rursus Ioa. 14. *si quis diligit me, mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum*: ad Colof. 1. charitas dicitur *vinculum perfectionis*: 1. ad Timoth. 1. dicitur *finis præcepti*: ad Rom. 13. dicitur *plenitudo legis*; sed hæc indicant amorem Dei esse ipsam formalem iustitiam, & formaliter iustificare; ergo &c. Idem insinuant Patres, ac præsertim Augustinus l. de nat. & grat. c. 42. dicens: *charitas verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia est*; & cap. vltimo *charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas pronecta, pronecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est*.

9. Respondeo duas esse sententias. Prima, cuius præcipuus auctor est Vasquez 1. 2. disp. 203. per totam, docet perfectum actum charitatis, ac perfectam contritionem posse ex se formaliter iustificare, atque emundare à peccato, licet de facto non iustificet, quia supponit hominem iam iustificatum per gratiam, & habitum charitatis, à quo procedit in genere causæ efficientis, licet disponat ad eandem gratiam, & ad habitum charitatis in genere causæ materialis. Ad hoc explicandum Vasquez docet, quod cum homo iustificatur per actum contritionis, inter actum, contritionis, & habitum gratiæ, & charitatis datur mutua causalitas, & mutua prioritas naturæ in diuerso genere, ita vt actus contritionis disponat ad acquirendum habitum gratiæ, & charitatis, adeoque præcedat illum in genere causæ materialis, seu disponentis subiectum: & idem actus contritionis causetur efficienter ab habitu charitatis, ac proinde sit posterior habitu charitatis in genere causæ efficientis. Alij recentiores docuerunt actum charitatis non solum posse formaliter iustificare, sed etiam iustificare de facto.

10. Secunda sententia multo communior,

quam sequitur Suarez to. 4. in 3. par. disp. 5. 8. & l. 7. de Gracia c. 13. & 14. docet perfectum actum charitatis, & contritionis non posse iustificare formaliter, sed esse puram dispositionem ad iustificationem.

11. Dicendum cum secunda sententia, perfecti actus charitatis, & contritionis non possunt formaliter iustificare, sed solum in præuia dispositio ad obtinendam iustificationem, & remissionem peccati.

12. Probatur primo: nam peccator contritionem potest se disponere ad obtinendam primam remissionem peccati, & per talem remissionem petere, impetrare, mereri non quidem merito de condigno, & proprio, sed merito de congruo, & minus proprio, sed si perfecta contritio esset ipsa formalis remissio, & ablatio peccati, peccator per contritionem non posset se disponere ad obtinendam primam remissionem peccati, nec per illam petere, impetrare, vel mereri; ergo. Probatur minor: nam per actum contritionis non possumus nos disponere ad ipsum actum contritionis obtinendum, nec possumus illum petere, impetrare, mereri, siquidem nullus actus potest esse dispositio ad se ipsum, potest esse petitio, impetratio, vel meriti sui ipsius; ergo si perfecta contritio est ipsa prima remissio peccati, non possumus per contritionem illam petere, impetrare, nec villo pacto mereri. Probatur ergo maior, primo ostenditur, quod peccator per contritionem potest se disponere, ac præparare ad obtinendam remissionem peccati. Tractatum enim sels. 14. c. 4. agens de contritione dicit: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post peccatum lapsa, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia habeat misericordiam, & voto præstandi reliqua concilia sit: sed contritio fuit omni tempore necessaria, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta; ergo Concilium loquitur de contritione, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta: sed deinde dicit, quod potest præparare ad remissionem peccatorum; ergo Concilium ob id contritionem, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, posse præparare, seu disponere ad remissionem peccatorum.*

13. Secundo ostenditur, quod per contritionem perfectam possumus petere, & impetrare primam remissionem peccati. Fuit enim perfecta contritio, per quam Publicanus Luc. 18. dicebat: *Deus propitijs esto mihi peccatori*, vt patet ex eo, quod fuit iustificatus in sacramento, ideoque dicitur, *discessit hic iustificatus ab illo*: sed Publicanus dicens, *Deus propitijs esto mihi peccatori*, petebat primam remissionem peccati; ergo &c. Rursus peccator absque villo errore, & ignorantia per perfectam contritionem potest dicere, *Dele uitiam meam: Dimitte nobis debita nostra*: sed hoc dicendo, petit primam remissionem peccati; ergo &c. Confirmatur; nam ex opposito

centia sequitur, quod præsciendū ab errore, & ignorantia, peccator per contritionem perfectam non potest humili oratione petere primam remissionem peccati, dicendo cum Publicano: *Deus propitijs esto mihi peccatoris; sed conuerso possit orare oratione simili illi, qua orauit Pharisæus, ac dicere: Gratias tibi ego, quia per hoc ipsum, quod habeam actum contritionis, formaliter deleo omnia peccata mea, ita ut ad illa delenda non indigeam noua gratia tua.* Rursus per contritionem perfectam non possit dicere cum filio prodigo Luc. 16. *Peccavi in calum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, sed deberet dicere, peccavi in calum, & coram te, sed per hoc ipsum, quod habeo perfectam contritionem, aufero omnem meam iniquitatem, & constituo me dignum, ut dicar filius tuus;* sed hæc sunt absurda, siquidem talis oratio non esset oratio cordis contriti, & humiliati, quod Deus non despicit, sed cordis inflati; ergo &c.

14. Rursus non debet homo confidere se per actum perfectæ contritionis, ac pœnitentiæ peccata formaliter delere sine noua gratia, sed debet humiliter sperare se posse per contritionem obtinere à Deo remissionem peccati, tanquam nouam gratiam, & misericordiam; sed ex contraria sententia debemus confidere posse nos per contritionem peccata formaliter delere, absque eo quod indigeamus noua gratia; & misericordia distincta ab actu perfectæ contritionis, & pœnitentiæ: ergo &c. Probatur maior authoritatibus satis expressis Chrystostomi, Cassiani, & Pauli Orosii. Chrystostomus enim hom. 89. ad pop. Antioch. circa initium dicit: *ne tunc confidas pœnitentiæ: tua namque pœnitentiæ tanta nequit peccata delere. Si sola fuerit pœnitentiæ, iure times; sed postquam cum pœnitentiâ commiscetur Dei misericordia, confide;* ergo expressè docet nostram pœnitentiæ non posse delere peccata, sed nos indigere noua Dei gratia, & misericordia. Cassianus coll. 20. c. 8. postquam proposuit multa remedia ad consequendam remissionem peccatorum, & inter ea remedia enumerauit charitatem, & pœnitentiæ, subdit: *nam si hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Dei, clementiaque deleuerit, qui exiguos, paruosque conatus immensa liberalitate prosequitur, dicens: ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recordabor, Ha. 43.* ergo etiam Cassianus docet omnes actus nostros in ordine ad remissionem peccati obtinendam esse exiguos, paruosque conatus, supra quos peccatorum remissio addit nouam, & immentam liberalitatem, & gratiam Dei. Paulus Orosius discipulus D. August. in l. de libert. arbitr. dicit: *Liberari à peccato in potestate non habeo. Precari mecum est, at solui non est meum;* sed si contritio esset ipsa formalis absolutio, & liberatio à peccato, sicut per Dei gratiam habeo in potestate precari, & conteri, ita habeo in potestate liberari, & absolui à peccato; ergo &c.

15. Tertio demum auctoritate Patrum, quos citat Bellarminus l. 2. de pœnit. c. 12. ostendo, quod per perfectam contritionem, & pœnitentiæ possumus mereri de congruo, & merito minus proprio remissionem peccati. Tertul. l. 4. in Marcionem ante medium, dicit: *Ideo & Achab regem maritum Iezabel reum idololatriæ, & sanguinis Naboth veniam meruisse, pœnitentiæ nomine.* Origenes hom. 11. in c. 20. Leuit. *Purgatio peccati per pœnitentiæ constat, quam quis dignè gerit, & meretur pro ea veniam peccati &c;* sed per perfectam contritionem dignè gerimus pœnitentiæ; ergo per perfectam contritionem meremur veniam peccati. Cyprian. serm. 5. de laps. *Qui pœnitentiæ facti, qui pudore delicti plus virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore concepit, & auditus, & adiutus à Domino, quam contristauerat, letam faciet Ecclesiam, nec iam solum Dei veniam merebitur, sed coronam.* Ambrosius l. 2. in Luc. c. 13. agens de filio prodigo dicit: *Tam cito veniam meretur, ut uenienti, & adhuc longe posito occurrat pater; & l. 10. explicans ea uerba c. 22. Respexit Dominus Petrum; Lachryme inquit, veniam non postulant, sed merentur: & tu si veniam vis mereri, ablue culpam lachrymis tuis.* Hieron. l. 2. contr. Pelag. dicit: *Qui peccata sponte confitentur, merentur humilitate clementiam Saluatoris.* Aug. in Ps. 50. *Niniuitæ pœnitentiæ egerunt, & certam misericordiam meruerunt: cui subscribens Gregorius in 1. Reg. l. 3. c. 4. dicit. Niniuita dum ueluti pro difficili reconciliatione graui pœnitentiâ se deiciunt, omnipotentis misericordiam facile meruerunt;* ergo est communis sententia Sanctorum Patrum, quod per pœnitentiæ meremur veniam, & remissionem peccatorum: sed non potest dici, quod Patres asserant nos mereri remissionem peccatorum solum per pœnitentiæ imperfectam, non autem per perfectam, quæ consistit in perfecta contritione; nam loquuntur uniuersaliter, & dicunt Sanctum Petrum, qui procul dubio habuit contritionem perfectam, & filium prodigum, qui proponitur à Christo, ut exemplar perfectæ pœnitentiæ, & contritionis, meruisse veniam peccatorum: ergo ex Patribus etiam per actum perfectæ contritionis meremur veniam, & remissionem peccatorum; sed non mereremur veniam, & remissionem peccatorum, si contritio esset formalis remissio, & absolutio peccati; nam actus contritionis non potest mereri se ipsum; ergo &c.

16. Probatur secundo conclusio; nam ex Scripturis, & Patribus constat pœnitentibus promitti, & dari à Deo remissionem peccatorum, tanquam nouam gratiam, & nouum beneficium; sed si perfecta contritio esset ipsa remissio peccati, non esset noua gratia, & nouum beneficium contritioni superadditum: ergo &c. Probatur maior Zacch. 2. Deus dicit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos;* ergo conuersioni, qua nos conuertimur ad Deum, Deus promittit tanquam nouam gratiam conuersionem, qua Deus conuertitur

ad

ad nos; sed Deus conuertitur ad nos per remissionem peccati; ergo &c. Ioc. 2. Deus dicit: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, & paulo post: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordia, & prestabilis super malitia. Quis scit si conuertatur, & ignoscat? ergo Deus excitat peccatores ad sperandam veniam, tanquam beneficium superadditum conuersioni, ideoque subditur: Quia benignus, & misericors est. Isa. 32. Reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quia multus est ad ignoscendum. Iere. 3. Conuertimini ad me, & sanabo vos. Ps. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet, quo significatur esse nouam Dei gratiam, vt non despiciat cor contritum, & humiliatum, sed illi tribuat remissionem peccatorum. Isa. 1. postquam Deus hortatus est ad penitentiam, promittit veniam, vt nouam gratiam, dicens: Venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabitur.*

17. Neque dicas cum Vasquez, quod loca, quibus Deus promittit conuersioni remissionem peccatorum, tanquam nouam gratiam, intelligenda sint solum de conuersione imperfecta, non autem de perfecta, quae consistit in perfecta contritione. Nam contra primo, quia est contra communem sensum fidelium, quod qui perfectè ad Deum conuertuntur, ad obtinendam remissionem peccati non indigeant noua gratia conuersioni superaddita. Secundo Deus dicens: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, loquitur de ea conuersione, cui semper promittit veniam; sed Deus semper promittit veniam soli contritioni perfectæ: ergo loquitur de sola contritione perfectæ, illique promittit infallibiliter veniam, tanquam nouam gratiam. Rursus Ioc. 2. dicit: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*; sed sola contritio perfectæ est conuersione in toto corde; ergo loquitur de contritione perfectæ.

18. Confirmatur: nam Deus in Scripturis loquitur de conuersione, tanquam de opere communi libero arbitrio, & Deo, ideoque ex doctrina Tridentina sess. 6. c. 5. sicut Deus ad significandum conuersionem esse immediatè liberam nobis, illam præcipit, dicens, *Conuertimini ad me*, ita nos ad significandum eandem conuersionem esse opus Dei, illam petimus, dicentes, *Conuerte nos Domine ad te*. At de remissione peccati Scripturæ loquuntur, tanquam de opere proprio solius Dei. Ideo nunquam nos hortantur ad efficiendam in nobis remissionem peccati, sed solum ad petendam illam à Deo; ac Deus de se ipso Isa. 43. dicit: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*: sed si perfecta contritio esset formalis remissio peccati, non esset opus solius Dei, sed esset opus commune Deo, & libero arbitrio, non minus, quam conuersione ad Deum, cum qua identificatur; ergo &c.

19. Probatur tertio conclusio ratione,

Malum enim per se priuans bono æterno, & perpetuo, non potest formaliter auferri per formam ex natura sua momentaneam, & non perpetuam, & non sufficientem ad inducendum bonum, quo malum priuatur: Ergo quia malum cæcitas priuatur bono permanenti, ac perpetuo potentia visua, non potentia cæcitas formaliter auferri per visionem momentaneam, quæ ex se non sufficit ad inducendam potentiam visiuam permanente, sed debet formaliter auferri per ipsam potentiam visiuam permanentem; sed peccatum habituale est malum per se priuans habitum gratiæ, & charitatis ex natura sua æternis & perpetuis; ergo peccatum habituale non potest formaliter auferri per formam ex se momentaneam, vel parum durantem, & non sufficientem ad inducendos habitus gratiæ & charitatis; sed perfecta contritio, & amor viæ sunt actus ex se parum durantes, non perpetui, & non sufficientes ad inducendos habitus gratiæ, & charitatis; ergo peccatum habituale non potest formaliter auferri per contritionem, vel per qualemcumque amorem viæ; sed solum potest formaliter auferri per habitus charitatis, & gratiæ. Præterea vltima pars assumpti, quod nimirum contritio ex se sit insufficientis ad inducendos habitus charitatis, & gratiæ. Contritio enim ex se non sufficit ad inducendos habitus gratiæ & charitatis, debent à Deo infundi gratis, & vt noua gratia, & nouum beneficium; sed posita contritione, habitus gratiæ, & charitatis debent à Deo infundi gratis, adeoque vt noua gratia, nouumque beneficium; ergo &c. Probatur minor: si enim habitus gratiæ, posita contritione, non conferretur gratis, adeoque vt nouum beneficium gratia non esset gratia, vt ex Apostolo docet Tridentinum sess. 6. c. 8. dicens: *Gratiam ideo iustificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia non ex operibus: alioquin vt idem Apostolus ait gratia iam non esset gratia.*

20. Concluditur ex dictis contritionem non solum per se ipsam non auferre de peccato habituale formaliter, sed neque de peccato possibili posse illud auferre. Ratio est, quia sicut visio ex se momentanea, & insufficientis ad inducendam potentiam visiuam, quæ priuatur cæcitas, non potest formaliter auferre cæcitatem: sic contritio ex se momentanea, & insufficientis ad inducendos habitus gratiæ & charitatis, quibus priuatur peccatum habituale, neque de facto, neque de possibili potest per se ipsam formaliter auferre peccatum habituale.

21. Addo contra Vasquez repugnare, quod inter contritionem, & gratiam habituales detur mutua causalitas, per quam contritio disponat ad habitum gratiæ, & charitatis, quo habitu contritio in eodem instanti procedat in genere causæ efficientis. Ratio est, quia

repugnat, vt homo ex. gr. per hoc, quod hic, & nunc oculis videat, disponatur ad habendam in eodem instanti potentiam visuam, qua videt: similiter repugnat, vt per hoc, quod hic, & nunc volet, disponatur ad habendas alas, quibus in eodem instanti volat; sed iuxta opinionem Vasquez homo per hoc, quod hic, & nunc faciat actum contritionis, adquirendum habitum charitatis, per quem in eodem instanti facit actum contritionis; ergo &c.

22. Ad 1. distinguo maiorem: omnis forma impossibilis cum peccato habituali in connexionione fundamenta in connexionione intentionali cum eius remissione, tanquam cum noua gratia, est formaliter iustificans, nego maiorem; impossibilitate fundamenta in perfectione entitativa forma non indigentis ad remissionem peccati noua gratia, transeat maior; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad formam se ipsam iustificantem non sufficit, vt sit impossibilis cum peccato habituali propter connexionionem intentionalem cum remissione peccati, tanquam cum noua gratia; sed requiritur, vt sit impossibilis cum peccato habituali propter perfectionem entitativam ipsius formæ, propter quam per se ipsam sufficiat ad auferendum peccatum sine noua gratia. Probatur, & explicatur exemplo. Si Deus reuelaret se per nouam gratiam remissurum peccata cuiuslibet habenti actum fidei, actus fidei, quo quis crederet huic reuelationi, esset essentialiter impossibilis cum peccato habituali, & tamen non iustificaret formaliter. Quod talis actus esset impossibilis cum peccato habituali, probatur, quia talis actus vt pote fidei diuinæ non potest esse falsus; sed si coniungeretur cum peccato habituali, esset falsus, nam crederet Deum remittere statim peccatum habituale cuiuslibet habenti actum fidei, quod esset falsum, nisi Deus habenti hunc ipsum actum fidei statim remitteret peccatum habituale; ergo talis actus non posset coniungi cum peccato habituali, ac proinde esset impossibilis cum peccato habituali. Quod talis actus non iustificaret formaliter se ipso, neque esset ipsa formalis ablatio peccati, probatur. Nam ipsa formalis ablatio peccati ex se ipsa sufficit ad peccatum auferendum, neque ad hoc præstandum indiget noua gratia; sed talis actus fidei crederet Deum cuiuslibet habenti actum fidei conferre remissionem peccati, tanquam nouam gratiam, ac proinde non sufficeret se ipso ad peccatum auferendum, sed indigeret noua gratia; ergo &c. In casu nostro perfecta contritio, si est essentialiter impossibilis cum peccato habituali, est cum illo impossibilis, non ratione perfectionis entitativæ, propterquam se ipsa sufficiat ad peccatum auferendum, sed ratione connexionionis intentionalis, per quam est connexionio cum remissione peccati, tanquam cum noua gratia. Probatur: nam ceteris perfectæ con-

tritio est impossibilis cum peccato habituali, quatenus est perfecta conuersio ad Deum, essentialiter supponens fidem, qua credimus Deum promississe suam amicitiam, & remissionem peccati cuiuslibet, qui se perfectè conuerterit ad Deum; sed talis actus habet connexionionem purè intentionalem cum remissione peccati, tanquam cum noua gratia; ergo &c. Probatur minor: nam connectitur cum remissione peccati, vt promissa perfectæ conuersioni; sed Deus perfectæ conuersioni promittit remissionem peccati, tanquam nouam gratiam, vt ostensum est in secunda probatione conclusionis; ergo &c.

23. Sed quæres, vtrum perfecta contritio sit essentialiter impossibilis cum peccato habituali?

Respondeo, ac dico primo: potest dari aliquis actus contritionis essentialiter impossibilis cum peccato habituali mortali. Probatur: nam potest dari actus perfectæ conuersionis ad Deum essentialiter supponens fidem, qua actu credamus Deum promississe remissionem peccatorum cuiuslibet, si se perfectè conuerterit ad Deum; sed talis actus est impossibilis essentialiter cum peccato mortali habituali; ergo &c.

24. Dico secundo: probabile est omnem actum perfectæ amoris, & perfectæ contritionis esse essentialiter impossibilem cum peccato habituali mortali. Probatur: nam ad perfectum amorē Dei requiritur, vt sit actus, quo efficaciter, & absolute velimus dare nos Deo vt amicos perpetuos; sed non possumus efficaciter, & absolute nos velle dare Deo vt amicos perpetuos, nisi ex fide, qua credamus Deum offerre, ac promittere suam amicitiam, adeoque remissionem peccati ei, qui per perfectum amorem voluerit se dare Deo vt amicum perpetuum; ergo ad perfectum amorē Dei requiritur, vt essentialiter supponat fidem, qua credamus Deum promississe suam amicitiam cuiuslibet, qui Deum perfectè dilexerit; sed perfecta dilectio essentialiter supponens talem fidem est essentialiter impossibilis cum peccato: ergo &c.

25. Confirmatur, explicando discrimen inter amorem puræ benevolentiae, & amorem amicitiae, & ostendendo, quod amor puræ benevolentiae ad amorem amicitiae comparatur, vt amor imperfectus ad perfectum. Ex doctrina Aristotelis 8. eth. c. 2. amor puræ benevolentiae est, quo amamus alterum, absque eo quod sciamus nos redamari; amor amicitiae est, quo amamus alterum, scientes nos redamari; ideoque amor amicitiae definitur: *Mutua benevolentia non latens, qua aliqui bona sibi volunt ad inuicem gratia ipsorum*; sed amor, quo amamus alterum, absque eo quod sciamus nos redamari, est imperfectus, si comparatur cum amore, quo amamus alterum, scientes nos redamari; ergo &c. Probatur minor primo à posteriori, & ex signo: amor enim ex se non quietatiuus est imperfectus, si

comparatur cum amore ex se quietatiuo; sed amor, quo amamus alterum, absque eo quod sciamus nos redamari, non est quietatiuus; qui enim sic amat, naturaliter manet inquietus, & vellet redamari; amor autem, quo quis amat, sciens se redamari, est quietatiuus; ergo &c. Secundo probatur eadem minor à priori. Nam amor, quo quis vellet se in amicum dare alteri, si posset, est imperfectus, si comparatur cum amore, quo quis absolute vult se dare alteri in amicum, certus quod potest; sed per amorem, quo amamus alterum, absque eo quod sciamus nos redamari, vellemus quidem nos ipsos, & nostram amicitiam dare alteri, si possemus, & si ille redamando, nostram amicitiam acceptaret, at non possumus absolute nos, & nostram amicitiam illi dare; per amorem verò, quo amamus alterum, scientes, quod ille per redamationem vult acceptare nostram amicitiam, absolute, & efficaciter nos volumus illi dare; ergo primus amor est imperfectus, si comparatur cum secundo.

26. Ad secundum distinguo antecedens, perfecta contritio, & perfecta conuersio ad Deum ratione suæ perfectionis est impossibilis cum peccato habituali, itaut ad remissionem peccati habitualis non indigeat noua gratia, nego antecedens; ita vt indigeat noua gratia, concedo antecedens; & eodem pacto distinguo alias similes propositiones probationum. Non sufficit ad formam iustificantem, vt quomocumque ratione suæ perfectionis sit impossibilis cum peccato habituali, sed requiritur, vt non indigeat noua gratia ad formaliter auferendum peccatum. Perfecta contritio, & perfecta conuersio ad Deum in aliquo sensu, ratione suæ perfectionis entitatiuæ est impossibilis cum peccato habituali, siquidem ipsa connexio intentionalis cum remissione peccati, tanquam cũ noua gratia, identificatur cum contritione, ac proinde est quædam perfectio entitatiua perfectæ contritionis, ac perfectæ conuersionis, sed est talis perfectio, quæ ad remissionem peccati indiget noua gratia, ideoque non est forma iustificans.

27. Ad probationem vltimæ minoris, distinguo maiorem; repugnat, vt aliquis sit perfectè conuersus ad Deum, & simul maneat auersus à Deo auersione reatus propter culpam præteritam, & hæc repugnantia oritur ex ratione perfectæ conuersionis præcisè consideratæ, nego maiorem; & hæc repugnantia oritur ex eo, quod Deus perfectè se conuertenti promiserit remissionem peccati, ac reatus, tanquam nouam gratiam, concedo maiorem, & nego consequentiam. Considerando præcisè perfectam conuersionem actualem ad Deum, talis conuersio non habet repugnantiam cum hoc, quod est peccatum remanere auersum à Deo auersione reatus propter culpam præteritam, eo pacto, quo licet in humanis aliquis sit perfectè conuersus à

peccato homicidij commissi, nihilominus potest remanere reus apud Rempublicam propter homicidium præteritum, & esse dignus stipendio; ergo impossibilitas perfectæ conuersionis ad Deum cum auersione reatus non fundatur in ratione conuersionis perfectæ, sed in promissione diuina, qua Deus cuilibet perfectè conuertenti promisit vt nouam gratiam remissionem culpæ, & reatus remaneat ex culpa præterita.

28. Ad tertium distinguo maiorem; si adæquatus, & vltimus est perfectior eo, quo ordinatur ad talem finem, concedo maiorem finis inadæquatus, & non vltimus, nego maiorem; & distinguo minorem; quilibet actus est finis adæquatus, & vltimus habitus, & minor; collectio omnium actuum, & aliquis actus perfectissimus est finis adæquatus, & vltimus habitus, concedo minorem, nego consequentiam. Finis inadæquatus, non vltimus potentia, vel habitu potest esse imperfectior potentia, vel habitu; ex. gr. cet potentia visiva ordinatur ad finem videndi, tamen quia non ordinatur ad quemlibet actum videndi, tanquam ad finem adæquatum, & vltimum, sed solum ordinatur ad finem adæquatum, & vltimum ad collectionem omnium actuum videndi, vel ad quemlibet perfectissimum actum videndi, non quilibet imperfectissima visio est perfectior potentia visiva, sed sola collectio omnium visionum, vel aliqua perfectissima visio est perfectior potentia visiva. In casu nostro habitus charitatis, & gratia ordinatur ad finem actum amoris, sed non ad quemlibet actum amoris ordinantur, tanquam ad finem adæquatum, & vltimum, sed solum ordinantur ad finem adæquatum, & vltimum ad collectionem omnium actuum, vel ad perfectissimum actum amoris eliciendum in patria; ergo amor vig. cum non sit finis adæquatus, & vltimus habitus charitatis, est imperfectior habitu charitatis; ergo non est minor quod licet habitus charitatis, & gratia formaliter iustificent, tamen amor vig. qui est imperfectior habitu, non possit formaliter iustificare.

29. Ad 4. nego, quod in pura natura actus contritionis naturalis iustificaret formaliter, ac dico, quod etiam pro eo statu missio peccati deberet conferri per nouam gratiam superadditam actui charitatis, & amoris naturalis.

30. Ad 5. concedo antecedens, quod mirum amor beatificus posset formaliter iustificare, & auferre peccatum per se ipsum, nego consequentiam, quod nimirum id posset amor vig. Disparitas est, quia amor beatificus non est per se momentaneus, sed est per se perpetuus multo magis, quam habitus gratiæ, & charitatis, siquidem habitus gratiæ, & charitatis, vt pote coniuncti cum peccabilitate, possunt destrui, & amitti per peccatum, amor beatificus cum supponat, vel includat

impeccabilitatem; non potest destrui, nec amitti per peccatum. Rursus amor beatificus cum sit ultimus finis, & cum sit perfectissimus actus charitatis habitualis, est perfectior habitu charitatis, & gratiæ; ergo si habitus gratiæ, & charitatis possunt formaliter iustificare, à fortiori potest formaliter iustificare amor beatificus. At amor viæ, quem supponimus esse diuersæ rationis ab amore beatifico, est ex se momentaneus, & cum non sit perfectissimus actus charitatis habitualis, est imperfectior habitu charitatis; ergo &c.

31. Ad 6. distinguo maiorem: iustitia est perfecta adæquatio cum lege, per quam homo non solum de præsentibus obseruat totam legem, sed etiam non est reus præteritæ transgressionis, concedo maiorem; per quam ita de præsentibus obseruat legem, vt sit reus præteritæ transgressionis, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad iustitiam, qua homo sit absolute iustus, non sufficit, vt adæquetur legi de præsentibus, sed requiritur, vt non sit reus transgressionis præteritæ. Per dilectionem homo formaliter adæquatur legi de præsentibus, sed non liberatur formaliter à reatu, sed vt liberetur à reatu requiritur noua gratia, ideoque per dilectionem homo non constituitur formaliter, sed solum dispositiue iustus.

32. Ad 7. transeat, quod sicut perfecta cognitio primæ veritatis excludit formaliter omnem miseriam erroris, sic perfectus amor primæ bonitatis excludat formaliter omnem miseriam peccati: sed dico, quod sicut cognitio omnino perfecta primæ veritatis excludens formaliter omnem errorem, non est cognitio viæ, sed sola cognitio patriæ, sic perfectus amor primæ bonitatis excludens formaliter miseriam peccati non est amor viæ, sed amor patriæ.

33. Ad 8. Loca Scripturæ, & Patrum, quæ afferuntur, non ostendunt actum charitatis iustificare formaliter, sed solum dispositiue, vt iam patebit. Primo afferitur locus Prou. 10. *Vniuersa delicta operit charitas*, & Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Respondeo primo, quod Chrysostomus homil. 4. in act. Apost. August. l. 1. de Bapt. c. 18. Bernardus epist. 7. ita hæc loca explicant, vt sensus sit, quod charitas, qua diligimus proximum, operit delicta proximi, ita vt illa non videamus, & hic sensus colligitur ex antecedentibus verbis Petri: siquidem dicit, *Mutua in vobismet ipsis charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Secundo respondeo, quod sic cum August. tract. 1. in 1. epist. Ioan. dicimus sensum esse, quod charitas operit nostra delicta, significatur, quod illa operit casualiter, in quantum impetrat à Deo remissionem delictorum, vt nouam gratiam, in quo sensu dici potest, quod etiam attritio cum sacramento operit nostra delicta.

34. Secundo afferitur locus, in quo Luc. 7. Christus loquens de Magdalena dicit, *Remit-*

*tuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Respondeo, quod eo ipso, quod dicitur, *remittuntur, quia dilexit*, significatur dilectionem præcessisse tanquam causam, & dispositionem, remissionem sequutam esse tanquam effectum: sed si dilectio esset formaliter remissio, non posset esse causa remissionis, neque illam præcedere; ergo &c. Eodem pacto cum Ioan. 14. dicitur, *Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniens, & mansionem apud eum faciemus*, significatur dilectionem, qua nos diligimus Deum, esse dispositionem, cui promittitur tanquam noua gratia dilectio, qua Deus diligit nos, & qua venit ad nos, & mansionem apud nos facit per dona gratiæ iustificantis, adeoque significatur dilectionem, qua nos diligimus Deum, non iustificare formaliter.

35. Quarto ad Colos. 3. charitas dicitur esse vinculum perfectionis, non quia actus charitatis iustificet formaliter, sed quia vt citans Glossam docet S. Thomas in comment. eius loci, *per omnes virtutes homo perficitur, sed charitas connectit eas ad inuicem, & facit illas perseverantes, atque ideo dicitur vinculum*. Eadem charitas dicitur finis præcepti, & plenitudo legis, non quia per actum charitatis homo iustificetur formaliter, sed quia omnia præcepta, & omnes actus virtutum ordinantur ad hunc finem, vt homo per perfectum actum charitatis vniatur Deo, tanquam suo ultimo fini, adeoque per actum perfectæ charitatis tota, lex impletur, & perficitur, licet talis actus non possit per se ipsum auferre reatum præteritæ transgressionis, sed ad hoc requiratur remissio talis reatus, vt noua gratia.

36. Sancti Patres dum videntur charitati tribuere remissionem peccati, iustificationem, & sanctificationem animæ, aliquando loquuntur non de actu charitatis, sed de habitu. Rursus dum loquuntur de actu charitatis, non loquuntur in sensu formali, sed in causali, & significant, quod actus charitatis infallibiliter disponit ad remissionem peccati. Augustinus dum dicit, quod *charitas verissima, plenissima, & perfectissima iustitia est*, si loquitur de actu, significat solum, quod actus charitatis est iustitia, qua homo hic, & nunc perfectissime adæquatur legi per perfectam eius obseruantiam, siquidem actus charitatis est perfectissima obseruantia totius legis, non autem dicit, quod sit iustitia, qua formaliter auferatur reatus præteritæ transgressionis, ad quem auferendum requiritur gratia remissionis distincta ab actu charitatis, illique promissa. Simili modo explicandus est idem Augustinus, dum pluribus locis, ac præsertim tractatu 9. in 1. Ep. Ioan. post med. asserit amorem Dei esse animæ pulchritudinem, dicens: *Quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est anima pulchritudo*. Dicendum totum hoc verificari, etiam si actus charitatis iustificet solum

dispositiue? Nam amando eum, qui semper est pulcher, euadimus pulchri, quia Deus amanti remittit peccata, & donat pulchritudinem gratiæ: & quia quo maior est amor, eò maiorem gratiam Deus nobis dat, ideò quantum crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas actualis coniuncta cum habituali, & cum gratia est pulchritudo animæ. Quod autem Augustinus cum dicit, quod ipsa charitas est animæ pulchritudo, loquatur de charitate actuali, prout coniuncta cum habituali, & cum gratia, patet. Nam procul dubio pulchritudo animæ non est sola charitas actualis, sed etiam habitualis; alioquin cum homo dormit, quandoquidem non habet charitatem actualem, sed solum habituales, non haberet pulchritudinem animæ; ergo Augustinus dicens, quod charitas est animæ pulchritudo, non loquitur de sola actuali, sed de actuali, prout coniuncta cum habituali, & cum gratia.

### QVAESTIO LXXXII.

*Vtrum peccatum mortale de potentia absoluta possit remitti quoad culpam per condonationem purè extrinsecam sine mutatione intrinseca peccatorum?*

1. **V**idetur, quod possit, vt docuit Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. & dist. 14. quæst. 1. Suarius tomo de penit. disp. 9. sect. 4. Card. de Lugo disp. 7. sect. 9. num. 130. & alij; primo quia peccatum perseverat moraliter per hoc, quod fuerit commissum, & non fuerit remissum; ergo per hoc præcisè, quod Deus illud extrinsecè remittit, dicendo, *Remitto tibi peccatum commissum*, non amplius perseverat, ac proinde aufertur.

2. Secundo peccatum perseverat moraliter per reatum, hoc est per obligationem ad sustinendum odium diuinum; sed Deus sine vlla mutatione intrinseca peccatoris potest velle, vt qui peccauit, non amplius obligetur ad sustinendum odium diuinum, & cedere iuri ad peccatorem odio habendum; ergo &c.

3. Tertio offensa, qua quis offendit principem, perseverat moraliter, donec princeps illam condonet; si vero princeps dicat *Remitto tibi offensam*, non amplius perseverat, sed omnino extinguitur; ergo etiam offensa Dei potest extingui per condonationem Dei purè extrinsecam. Nam non est minus potens in genere causæ formalis in ordine ad extinguendam offensam actus, quo Deus dicit, *Remitto tibi offensam*, quam actus, quo princeps creatus dicit, *Remitto tibi offensam*.

4. Quarto qui emisit votum remanet reus voti, hoc est obligatus ad votum implendum, & tamen reatus, seu obligatio voti

potest à Deo, vel à Pontifice nomine Dei remitti remissione purè extrinseca per actum quo dicat, *remitto tibi votum*; ergo à pari.

5. Quinto reatus poenæ potest remitti purè extrinsecè; ergo etiam reatus culpæ. Probatur antecedens; nam de facto animi iustorum in purgatorio habent reatum poenæ, & sunt dignæ poenæ, & tamen per præcisè, quod Christus illis extrinsecè applicet suas satisfactiones, euadunt non amplius dignæ poenæ sine vlla earum mutatione intrinseca, siquidem in illis non augetur gratia. In baptismo etiam aufertur reatus poenæ temporalis, non per infusionem gratiæ, & characteris præcisè, siquidem tota gratia, & character ex se possit coniungi reatu poenæ; ergo remittitur per condonationem extrinsecam Dei, hoc est per actum quo Deus dicit, *Remitto tibi totam poenam*. Iustus vnus iustus potest applicare suam satisfactionem pro alio iusto, & tunc ille, cui applicatur, sine vlla intrinseca mutatione liberatur à reatu poenæ; sicut potest etiam à li reatu liberari per hoc, quod illi applicetur sacrificium missæ.

6. Sexto ex doctrina Patrum, & Theophylacti 6. cap. 7. de facto nullum peccatum remittitur quoad offensam, & culpam, nisi per satisfactionem Christi, quæ est æqualis, ac perabundans; sed satisfactio æqualis quoad offensam in genere causæ formalis; ergo peccata tolluntur per satisfactionem Christi in genere causæ formalis; sed licet satisfactio Christi de facto applicetur peccatori per aliquid intrinsecum peccatori, puta per actum peccatoris, vel per gratiam, tamen potest applicari per voluntatem purè extrinsecam Dei, vel Christi; ergo peccatum quoad offensam, & culpam potest de potentia absoluta deleri per aliquid purè extrinsecum.

7. Septimo peccatum veniale quoad culpam potest remitti, imo de facto remittitur iustis morientibus in gratia sine vlla mutatione intrinseca; ergo etiam peccatum mortale. Probatur antecedens; nam iustis morientibus in gratia in fine vitæ remittuntur omnia peccata venialia quoad culpam; quia sæpe in fine vitæ carent vsu, non intentionis, sed sensus, remittuntur sine vlla tractatione, & sine vlla infusione gratiæ; ergo remittuntur purè extrinsecè.

8. Octauo infans, qui est peccator, peccato originali infectus, potest intelligi sine vlla mutatione intrinseca non peccator, non infectus; ergo potest peccator mutari in non peccatorem sine vlla sui mutatione intrinseca. Probatur antecedens; nam infans de facto est peccator, quia Deus fecit pactum cum Adamo, vt peccatum ipsius esset moraliter peccatum omnium posterorum; ergo Deus non fecisset hoc pactum infanti extrinsecum, infans ille sine vlla mutatione intrinseca esset non peccator, & non infectus peccato originali.

Respon-